

logrammi figura exoritur a corpore, habetque pinnam sesquidigitum longam, paulo plus duobus latam. Caret squammis, sed tegitur cute glabra, parum tantum hispida, ut Xiphiae, coloris albicantis, cui gryseus est admix-

tus, et in dorso paulum fuscus; pinnae quoque grysei coloris. Non est edulis: in ventriculo algae seu musci marini multum inueniebam. Parieti appensus noctu clarissime lucebat in tenebris.

ARTICVLVS V.

De Pınaru, Timucu, et Guebucu.

TAB. XXXVII. 4. 5. etc. *Marogr. H. Brasil. l. 4. 13.*
PVNARV pisciculus est quatuor digitos longus, corpore oblongo, capite crassiusculo, et antèrius obtuso. Os habet parvum, in maxilla inferiore duos solummodo denticulos, longos, acutos instar acicularum: oculos superius et in fronte positos, pupilla nigra, circello aureo: et supra hos duo rubra fila brevia, prominula; branchias amplas: utpote quae una ei est e duabus conflata. Pinnae postbranchiales duas oblongas, et sub his duas plane angustas. Paulo post occiput incipit pinna, quae ad caudam usque producit, spinulis prominulis suffulta. In medio infimo ventre incipit similis, ferme ad caudam usque pertingens. Cauda autem longiuscula, et parallelogramma. Tegitur cute fusca, et pinnae sunt ejusdem coloris.

Reperitur hic et alia PVNARV species, figura corporis priori similis, sed mandibulas habens rostratas, quasi e minimis denticulis compositas. A summitate capitis pinna latiuscula extenditur usque ad exortum caudae, quae mollibus textitur spinis non prominulis. Postbranchiales habet fere ut prior, ut et in ventre et cauda. Color ut prioris, sed variegatus est in lateribus lineis curvis obscure purpureis. Utraque species inter scopulos vivit: et intrat etiam testaceorum domicilia.

Idem H. B. l. 5. 14.
TIMVCV, Lusitanis *Peixe agulha*, Piscis duos est pedes longus, corpore tereti instar Anguillae. Rostrum habet osseum, tres vel quatuor digitos longum, acuminatum, utrobique dentibus minimis refertum: inferior rostri pars paulo longior superiori, et id quod prominet molle, non osseum; caret lingua. Oculos habet rotundos, crystallinos, circulo argenteo: sex pinnae, nimirum duas oblongas postbranchiales, duas junctas in infimo

ventre ante anum parvas, post anum unam, quae fere ad exortum caudae porrigitur, et similem huic oppositam in dorso. Cauda pinna quasi dissecta constat. Caret squammis, sed tegitur cute. Summitas capitis et rostri ac dorso cum medietate laterum olivacei est coloris: inferior medietas cum ventre argentei. Per utrumque autem latus secundum longitudinem linea tendit virescens, distinguens olivaceum ab argenteo. Pinnarum color respondet parti, cui appositae sunt.

Edulis est. Capititur in mari, et fluviis salis. Boni est saporis, praefertim frigus butyro: Caro ejus non est spinosa.

GVEBVCV, Lusitanis *Bicuda*, piscis *Idem lib. 1. c. 15.*
 rostratus; oblongo et ferme tereti est corpore, ut *Dorada*: capite porcino, rostrato, cauda in duo cornua diducta ut *Albacara*, rostrum acutum, osseum, durum: partis superioris longitudo sedecim digitorum, inferioris decem.

Crassities totius prope insertionem septem digitorum; utramque autem rostri partem movere potest. Branchias habet amplas: Os interius orbicularis figurae, in medio sui hyperbolico foramine; lingua oblonga, alba, dentibus omnino caret. Oculos habet solidi magnitudine, pupilla crystallina, circulo argenteo. A rostri insertionem caput in altum affurgit, ut in *Dorada* mare: Est autem caput ab oculis ad occiput longum septem digitos, novem altum. Corporis longitudo ab occipitio ad caudae exortum quatuor pedum, et altitudo lateris post occiput unius pedis; in medio autem corporis decem digitorum et prope caudam duorum. Cauda in duo cornua extenditur et ampliatur, quodlibet octodecim digitos longum, ad cuius exortum in quolibet latere duae